IULIUS

Iulius episcopus servus servorum dei Dilectis filiis [illegible] Segobien. et Alfonso de Rosales Canonico Ispalen. ecclesiarum ac Officiali
Oxomen. salutem et apostolicam benedictionem. Rationi congruit et convenit honestati ut ea que de Romani Pontificis gratia processerunt licet eius superveniente obitu littere
apostolice super illis confecte non fuerint suum sortiantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Alexandro pp. vi. predecessori nostro pro parte dilecti filii Francisci de Alfaro
laici Tirasonen. diocesis exposito quod olim postquam iniquitatis filius Petrus de Aranda tunc Episcopus Calagurritan. ab unitate sancte Romane ecclesie et fide catholica deviane auctoritate
apostolica de apostasia et heretica pravitate et in illa relapsus condemnatus et dignitate Episcopali privatus fuerat Carissimus in christo filius noster tunc suus Ferdinandus Castelle et Legionis
Rex illustris nonnullas vineas ortos et quasdam alias possessiones valoris trecentorum ducatorum auri de Camera in territorio ville de Aranda de Duero Oxomen. diocesis
consistentes ad dictum Petrum ante dictam privationem tunc spectantes et pertinentes eidem Francisco concesserat atque donaverat ac in illos corporalem possessionem induci manda
verat et deinde tunc Archiepiscopus Toletan. loci Metropolitanus donationem huiusmodi ordinaria auctoritate confirmaverat prout in instrumento donationis ac ipsius Archiepiscopi
litteris suo sigillo munitis desuper confectis dicebatur plenius contineri ac pro parte ipsius Francisci tunc asserentis possessionem vinee et orti et possessionum huiusmodi pluribus annis
obtinuisse eidem Alexandro predecessori humiliter supplicato ut donationi et confirmationi predictis pro illarum subsistentia firmiori robur confirmationis apostolice adiicere aliasque
in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaretur Idem Alexander predecessor de premissis certam notitiam non habens ipsumque Franciscum a quibusvis excommu
nicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existebat
ad effectum [illegible] consequendum dumtaxat absolvens et absolutum fore censens ac vinee orti et possessionum huiusmodi nomina denominationes designationes qualitates
quantitates confines ac veros annuos valores pro expressis habens huiusmodi supplicationibus inclinatus voluit et concessit sub dat. videlicet Septimo Id. Septembris Pontificatus
sui Anno Undecimo certis Iudicibus dari in mandatis quod si et postquam de premissis eis legitime constitisset donationem et confirmationem predictas confirmarent et approbarent
ac pro potiori cautela vineas ortos et possessiones huiusmodi eidem Francisco per eum tenendas et possidendas de novo concederent Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus
apostolicis contrariis quibuscumque. Ne autem de absolutione voluntate approbatione confirmatione et concessione prefatis pro eo quod super illis ipsius Alexandri predecessoris eius
superveniente obitu littere confecte non fuerunt valeat quomodolibet hesitari ipseque Franciscus illarum frustretur effectu volumus et prefata auctoritate decernimus quod absolutio voluntas
approbatio confirmatio et concessio predecessoris huiusmodi perinde a dicta die Septimo Id. Septembris suum sortiantur effectum ac si super illis ipsius Alexandri predecessoris littere
sub eiusdem diei dat. confecte fuissent prout superius enarratur quodque presentes littere ad probandum plene absolutionem voluntatem approbationem confirmationem et concessionem
predecessoris huiusmodi ubique sufficiant nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus
vestrum si et postquam de premissis vobis legitime constiterit donationem et concessionem predictas approbare et confirmare ac vineas ortos et possessiones huiusmodi de novo concedere
iuxta voluntatem et concessionem Alexandri predecessoris huiusmodi auctoritate nostra curetis. Non obstantibus omnibus supradictis. Dat. Rome apud Sanctumpetrum
Anno Incarnationis dominice Millesimoquingentesimotercio [illegible] Kal. Decembris Pontificatus nostri Anno Primo.

A

Jo. de Armuciis
M. Nort [illegible]

F. de Cambis

Jo. Copis
Jo. de Advocat
M. [illegible]

Ja. de Bosis
F. Manaris p Compt

Jo. Pacinus Solicitatori exposuit ducatos [illegible]
Jo. de Pelegrinis

10 at. [illegible]

33/1
1503. 11. 27

D n. 33.

Segovia, con las bulas de privilegios

francisci de Alfaro.

42

[illegible] Cermenyo

10